



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus L. De iis, qui contrahere possunt, item de materia contractuum, &  
juramento contractibus apponi solito.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**

tus, si scireti tibi non esse serium; nam error non est circa substantiam vel causam finalem, ideo enim dat, ut resignes juri ad accusandum, atque hoc verè facis, et si serio non intenderis accusare, ergo. *Sanch. Less. Dicast. n. 119.*

9. In dubio, an error fuerit substantialis, an **19.** causa, quæ nunc cessat, fuerit principaliter motiva, jura volunt, præsumi pro valore actus, & videtur pro eo esse possessio, quia scitur esse factus, & ignoratur ejus invaliditas. *Sanch. n. 13. 34. & 52.*

Idem à potiori est dicendum, si dubitetur, an intervenerit dolus, error vel metus, quia facta & delicta non præsumuntur; in dubio, an verè consenseris in obligationem, si tenebaris consentire, aut verba tua significarunt obligationem, præsumeris verè consensisse, quia nemo censetur consensum injustè subtrahere, aut loqui aliter, quam sentiat.

## C A S U S . L.

De iis, qui contrahere possunt, item de materia contractuum & juremento contractibus apponi solito.

**C**Amillus in *infantia*. 2. 4. *Ante, & post pubertatem sine authoritate Tutoris, 5. Quem agnoscere non vult, 3. Varios celebrat contractus, exposit cum licentia Tutoris omnes, etiam rerum alienativos, ratificat. Ibid. Et cum ipso Tutore init. 6. Onerosos, et si juratos 13. Implere non vult petens restitutionem in integrum 8. Etre-  
Mm 3 laxa-*

*laxationem juramenti à suo Episcopo, vel Principe.*

17. & seqq. Pro resol.

1. QUÆR. I. Quænam sint personæ habiles ad contrahendum? R. I. De jure naturæ contrahere possunt omnes, quotquot habent plenum rationis usum & materiam, de qua contrahant; defecctu rationis invalidè contrahunt ebrii, dormientes, fatui, furiosi &c. *Ratio est;* quod ad contractum utpote actum humanum in conscientia obligantem requiratur consensus liber, quem recensiti habere non possunt.
2. R. 2. Jure positivo contrahere prohibentur infantes, impuberes, minorennes, filii familiæ, prodigi juxta sequentes explicationes:
  1. In jure tam fæmellæ, quam masculi usque ad septimum annum dicuntur infantes; abhinc masculi usque ad 14. fæmellæ ad 12. dicuntur impuberes, quod si impuberes per mortem patris vel emancipationem desierint esse sub patria potestate, vocantur pupilli, si utroque parente careant, vocantur orphani: deinde illud tempus, quod ab anno septimo currit usque ad pubertatem, à Juristis dividitur in duas partes, in quarum prima dicuntur infantæ proximi, in secunda pubertati proximi, & ita masculus ante completum decimum cum dimidio, & fæmellæ ante completum nonum cum dimidio dicuntur infantæ proximi; abinde usque ad annum pubertatis pubertati proximi; quâ completâ vocantur puberes, & tunc usque ad 25. minores: Pupillis etiam invitîs datur Tutor, minoribus volentibus Curator, quandoque etiam nolentibus in ordine ad lites, qui Curator semel acceptatus repudiari non potest usque ad annum 25. completum, nisi veniam ætatis, id est liberam rerum sua-

suarum administrationem à legitimo Superiore obtinuerint; prodigo etiam invito datur curator, prodigus autem dicitur, qui profusè dat, scu ut ait *Ulpian. l. 1. ff. de curat. furios.* qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando profundit.

2. Contractus ab infante, vel infantiae proximo initus est planè nullus, adeò ut nec obligationem civilem in foro externo, seu actionem in judicio, nec obligationem naturalem in foro conscientiæ pariat. *L. pupillus ff. de condic. in debiti Laym. hic c. 9. num. 8. Onnate d. 4. num. 18. Lug. d. 22. num. 283.* Ratio est, quòd ius positivum illorum consentum irritet, infans enim & infantiae proximus non multum à furioso distant. *§. 10. inst. de inut. stipul.* Si dicas: Leges hæ fundantur in præsumptione, quòd infans & infantiae proximus careant pleno usu rationis; ergo si à parte rei usu non careant, sed malitia suppleat ætatem, saltem tunc obligabuntur in conscientia, quia si præsumptio sit falsa, lex in ea fundata cessat. R. Hæ Leges non fundantur in præsumptione defectū rationis in hoc vel illo particulari casu; sed ideo irritant ejusmodi contractus, quia plerumque solet contingere, quòd in tali ætate soleat deficere perfecta ratio, quod verum est, nec ideo cessat lex universalis, si ratio legis deficiat in particulari casu.

3. Pupillus pubertati proximus sine autoritate Tutoris contrahens non obligatur civiliter, bene tamen naturaliter *L. 25. §. 1. ff quando dies legati, & L. 1. ff. de novat. Less. Regin. Sanch. de matr. d. 38. num. 3.* Excipe contractus majoris momenti, quibus alienantur immobilia,

vel mobilia pretiosa , quæ servando servari , id est per triennium conservari possunt ; tunc enim , quamvis adsit consensus Tutoris , pupillus nequidem naturaliter , seu in conscientia obligabitur , quia jura utriusque , & Tutoris & pupilli consensum annullant . *L. 7. 11. 15. Cod. de praediis. Rebell. Less. Molin. to. 1. d. 224. Dicast. num. 277.* idem est , si pupillus contrahat cum

**6.** Tute , tunc enim ad nihil tenebitur , nisi in quantum factus est ditior , aut si dolum committerit ; *dixi* : pupillus sine authoritate Tutoris contrahens non obligatus civiliter ; nam si contractus sit in suum comodum , alterum contrahentem ( nisi etiam hic sit pupillus ) & civiliter , & naturaliter sibi obligat , ita statuitur in favorem pupilli *L. Julianus 13. ff. de aet. empt. in rebus tamen , quæ sunt in quotidiano usu , si pupillus quid expendat , donet , &c. saltē ex consuetudine obligabitur etiam civiliter stare contractui.*

**7.** 4. Filii-familias impuberis non obligantur civiliter ullo contractu circā quæcunque bona , etiam si contrahant cum consensu Patris . *§. quod 10. inst. de inut. stip.* pupillus tamen cum authoritate Tutoris contrahens obligatur naturaliter & civiliter , si alienationem rerum pretiosarum excipias ; *Ratio Legum est* , quod pupillo contra Tute detur actio , non autem filio contra patrem propter reverentiam .

**8.** 5. Si pupillus vel minorenne per contractum lœsus aut incommodum passus fuerit , gaudet beneficio restitutionis in integrum intrà quatuor annos ab anno 2<sup>o</sup> sto completo , vel si veniam astatatis obtinuerit per quatuor annos à die obtentæ veniæ , ita ut possit repetere rem vel pretium

de

de quo contraxit, cum fructibus, damno & lucro cessante L. 7. C. de temp. in integ. restit.

6. Omnia jam dicta de pupillis etiam tenent 9.  
de minorenibus Curatorem habentibus; si Cu-  
ratorem non habent, obligantur naturaliter & ci-  
viliter, etiamsi contrahant de rebus aliquantum  
pretiosis & in quotidiano usu non occurrentibus.  
*L. puberes 101. ff. de verb. oblig.*

7. Prodigus non habens Curatorem contrahit 10.  
validè naturaliter & civiliter etiam notoriè talis,  
& acceptum ab eo retineri potest, si verò autho-  
ritate publicâ Curatorem habet, nequidem natu-  
raliter ex contractu obligabitur, & qui cum eo con-  
trahit, tenetur restituere ante sententiam Judicis,  
etiamsi prodigus non repeatat, quia detinet rem  
alienam. *Azor. Sanch. n. 20. § 27. Regin. l.*

25. n. 106.

QUÆR. II. Quid circà materiam contractûs? 11.  
R. Materia contractûs debet esse honesta, possi-  
bilis & saltem in spe existens.

Dicitur 1. honesta; nam si objectum sit turpe,  
seu peccaminosum, ad illud nulla dari potest ob-  
ligatio; si verò materia seu objectum contractûs  
sit honestum, contractus valebit, quamvis alii-  
unde forsitan sit illicitus, vel prohibitus; non  
enim omne prohibitum est invalidum; valet enim  
matrimonium contrà fidem priorum sponsalium  
initum; valet venditio, si, postquam vendidi Ti-  
tio, vendam & tradam Sempronio, sunt tamen  
hi contractus illiciti utpotè contrà jus alte-  
rius.

Dicitur 2. possibilis & in spe saltem existens;  
si enim contrahentes sciant rem esse impossibilem,  
aut nunquam in spe existentem, tunc seriò &

M m s , effi-

efficaciter se obligare non intendunt, si non sciant,  
erit error in substantia.

**12.** QUÆR. III. Qualiter contractus firmantur  
juramento? *Responsio constabit ex seqq.*

1. Contractibus licetè adjici posse juramen-  
tum, patet ex propos. Wicleff. 43. damnata in  
Concilio constantiensi: *Juramenta illicita sunt,*  
*quaे fiunt ad corroborandos contractus & commercia*  
*civilia.*

2. Contractum firmari juramento est, con-  
tractum è juris dispositione in fôro conscientiæ  
vel saltem in fôro externo nullum; per accessio-  
nem juramenti reconvalescere, itâ ut non tan-  
tum obliget ex motivo Religionis, sed etiam ex  
justitia: si contractus jam erat validus, propriè  
non dicitur firmari juramento, sed ei tantum  
superadditur nova obligatio ex virtute Religio-  
nis.

**13.** 3. Omnes contractus puberum, sive sint mino-  
rennes, sive majorennæ, si matrimonium &  
paucos alios excipias, firmantur juramento, qui  
ex jure positivo habent, quod sint nulli, & ser-  
vari possunt absque peccato jurantis vel exigentis  
juramentum. *Sanch. Haun. Lugo d. 22. num.*  
*226. Laym. l. 4. t. 3. c. 8. Onnate d. 11.*  
*num. 98. Herman. thes. 24. Metzger t. 13.*  
*d. 41. a. 5. num. 10. Pirb. lib. 2. Decret.*  
*tit. 24. num. 132. & ibid. Schmalzg. num. 86.*  
*Viva opusc. 1. q. 7. a. 2. contra Merenda,*  
*Perez, Wiestner & alios, qui volunt contra-  
ctus invalidos non validari per juramentum, sed*  
*tantum addi obligationem Religionis. At asser-*  
*tum probatur ex cap. cum contingat de jurej. c.*  
*licet 2. eod. in 6. c. quaquevis 2. de pactis in 6.*  
*ubi Pontifex disertè ait: pactum juramento nec vi*  
*nec*

*nec dolo præstito firmatum fuisse, & servandum esse, quæ conditio frustra adderetur, si paœta jurata ex sola religione obligarent; nam jura-menta etiam vi vel dolo extorta obligationem Religionis inducunt, quoties sine peccato servari possunt.* Contractus verò, qui juramento fir-mantur, sunt contractus minorennum, quibus bona etiam immobilia sine autoritate Tutoris alienant; nam quamvis hi contractus alias ne-quidem naturaliter obligent, accedente tamen juramento naturaliter & civiliter obligant; si-militer juramento firmatur donatio inter patrem & filium, renuntiatio paternæ hæreditatis, alie-natio fundi dotalis &c. *Schmaltzg. num. 92. 14.*

*Contractus impuberum probabilit̄ non firman-tur juramento, nisi juramentum accesserit post pubertatem. Bald. Sanch. Lugo. n. 214. neque firmantur juramento contractus irriti jure natu-rali vel ob defectum consensūs, velut contra-ctus infantum, ebriorum, amentium, vel quia sunt de materia jure naturali vel divino prohibita; nam jus positivum non valet supplere consensum, aut reddere licita, quæ jure naturæ aut divino sunt illicita: neque firmantur contractus injusto metu, vi vel dolo extorti, quia servari non pos-sunt sine peccato juramentum exigentis. Jura cit.*

*Onnate n. 129. Schmaltzg. n. 91.*

4. *Juramentum, et si non firmet contractum, 15.* semper tamen servandum est, quoties sine pec-cato servari potest, non ex justitia, sed in rever-entiam divini nominis; ut si metu mortis ali-quit juratō promisisti latroni vel usurario pro-misisti solvere usuras, teneris solvere vel pere-re relaxationem juramenti à latrone vel usura-rio, qui eam ex justitia dare tenentur, vel, si no-lint,

lint, ab Episcopo. Molin. Less. Suar. Haun.  
Metzg. l. c. Onnate num. 55. Viva opusc. 1.  
q. 7. a. 3. & clarè habetur c. 6. 18. 26. de  
jurej.

**16.** 5. Contractus juramento firmati habent omnes effectus civiles & naturales, quos habent alii contractus jurati nunquam invalidi; hinc parunt actionem in judicio, obligant ex justitia & Religione, ita ut relaxato juramento ab alio, quam à creditore, maneat obligatio justitiæ, quæ etiam ad hæredes transit. Suar. Palao, Schmaltzg. à num. 94. quod verò juramentum firmet & validet contractum, non habet ex se, sed ex jure positivo, ex se tantum superaddit obligationem religionis.

QUÆR. IV. A quo juramentum hoc relaxari possit? R. Imò. Juramentum firmans contractum à solo eo, cui præstatum est, relaxari potest, quia hic ex tali contractu habet jus quæsitura, quo invitus privari non potest, idcōque nequit illud relaxare Episcopus, imò nec Papa, nisi ex causa gravissima, & ob bonum publicum. Suar. l. 2. de jure c. 41. num. 2. Sanch. l. 3. mor. c. 21. num. 2. Haun. to. 5. t. 4. n. 89. Pirk. num. 154.

**17.** 2. Relaxatio juramenti non confirmantis contractum pro solo fôro conscientiæ à Religiosis Mendicantibus obtineri potest, ut dicam Casu 71. num. 5. aliás ab Episcopo jurantis petit debet, ut si usurario usuras, vel alteri per dolum aut metum injustum aliquid juratò promisisti, & promissarius tibi obligationem juramenti remittere nolit, in conscientia tutus es relaxatione tui Episcopi, si verò res deducidebeat ad forum exterritum & Reus citari, debes

bes relaxationem petere ab Episcopo creditoris, quia Actor debet sequi forum Rei, nisi Reus se sponte subjiciat Episcopo jurantis, vel extra suam Diœcesin contraxerit, tunc enim cognitio causæ spectabit ad Episcopum loci, in quo contractus celebratus est. *Suar. num. 10. Sanch. num. 35. Gonz. in c. 1. de jurej. n. 14. Pirk. num. 156.*

3. Judex sacerularis non quidem directè, sed <sup>18.</sup> indirectè poterit relaxare juramentum non confirmatorium, illud remittendo nomine sui subditi id injustè renuentis, vel annullando omnem acceptationem rei jurato promissæ; si enim ipse promissarius juramentum in suâ favorem factum remittere possit &c debeat, cur non ipso renuente ejus superior. *Hann. num. 905. Gonz. n. 12. Zoes. de jurej. n. 80. Pirk. n. 159.* Ex his per se patet Resolutio Casus.

## C A S U S L I.

### De Promissione.

**D**Onatus multa promittit, sed non implet,

1. *Quia promisit semi-deliberatè, ex motu leví sed juratò,* 2. *Sub sola fidelitate, vel sub dubio,*
3. *Ad rem ex parte illicitam vel impossibilem,* 4. *Aut juravit non revocare testamentum, ibid.*
- Quia promissarius non acceptavit, vel absens acceptationem non intimavit, aut ejus nomine acceptavit alter.* 5. *Vel antequam promissio absenti intimaretur, est revocata.* 6. *Vel mortuus est promittens, aut promissarius.* 7. *Quia status est mutatus, & ipse indiget repromissâ, & promissarius cum graviter offendit.* 8. *Qui ares promissa perii,*

*vel*